Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 191
Quelle:
Copyright:



## CXXIII.

U. 69 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 127. 4. calamo currente ipſius Autoris ſcriptus, refectus, inculcatus, ut primos mentis conceptus in chartam conjectos agnoſcas, continet Explanationem *Geneſeos* ab initio usque ad C. II. v. 1. jam affectum. Initium eſt: *In principio creauit Deus celum et terram. Hoc uerbum introducens beatus auguſtinus XI°. de Civ. Dei dicit ita. Quod deus fecit mundum. nulli potius credimus quam ipſi deo* &c. Si de Autore quaeras, *Henricus de Haſſia* eſt, cujus Continuatio in eundem Librum mox adferetur.

## CXXIV.

U. 36 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 450. f. currente calamo per duas columnas exaratus, rubricis diſtinctus, et olim legatus *ad liberariam Collegij beate virginis Marie Rubee roſe* a *Johanne Hoffmülner Eccleſie ſancti Stephani magiſtro chori*, ut praenotatum, continet vaſtum Commentarium in *Caput* III. *Geneſeos*, qui inſcribitur: *Tercium capitulum*, unde conjicio, Partem eſſe ſuperſtitem Expoſitionis in *Geneſin* ab ejus principio coeptae. Eſt vero hoc ingreſſu: *Sed et ſerpens erat &c. ſecundum diuiſionem in principio iſtius 3ij capituli gen. in tres partes factam hic incipit tercia pars in qua poſteaquam in pertractatione precedentis partis deſcriptus eſt ſtatus innocentie* &c. Quantum ſibi indulgeat Interpres noſter, vel ex eo patet, quod mox diverſas Serpentum ſpecies, puta *Aſpidem*, *Regulum*, *Dypſadem* &c. fuſe deſcribere inſtituat. Sed et in omnem fidei morumque doctrinam late expatiatur, ut *Rubricae* paginis ſuperne impoſitae demonſtrant. Finit tandem *fol.* 432. p. 2. *uel illa que committitur in commutacionibus uel diſtribucionibus.* Sequuntur *Indices* duo, quorum poſterior a *fol.* 305. ducitur. De Plantatore Gymnaſii noſtri *Henrico de Haſſia* refert *Trithemius* in *Catal. illuſtr. Viror. Germ.* inter alia: *Abundans et diffuſus, quippe qui multis annis in lectura geneſeos conſumptis vix ad quartum capitulum libri pervenit, ac totidem volumina complevit.* Itaque hic iterum Volumen ejus III. tenemus.

Veſtit illud poſtice Membrana Biblica elegantiſſimo charactere *hebr.* in *Germania*, ut videtur, exarata a Libri *Num.* c. 8. v. 11. verbis: והניף אהרן את הלוים ad verba v. 21. — וינף בגדיהם ויכבסו.

## CXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 64 exeuntis Folior. 182. 4. currente calamo perſcriptus, multis lituris, et emendationibus cum in textu, tum ad margines ſcatens, atque ita comparatus, ut πρωτογραφος videri debeat, complectitur *Commentaria in Geneſin* a C. III. ad ejus v. 17. Teſtatur *Joh. Eckius*, dum concertationum ſcholaſtica-